

205
28

Divisio aut sectio parochiæ perficitur, quando ex una parochia ab habente legi-
timam potestatem fiunt duæ aut plures. Divisioni affinis est *dismembratio*,
qua manente unitate beneficii parochialis alteriusve, puta Episcopatus, Canoni-
catus, Capellanæ aliqua redituum portio a pinguiori abstracta macilentiori legi-
tima autoritate adjicitur. Divisioni directe opponitur *unio*, qua ex pluribus
parochiis, aut alterius generis præbendis unum aliquod certa ratione efficitur.
Tribus modis unio fieri potest: 1. Si duæ parochiæ vel alia beneficia ita con-
stantur, ut unum aliquod tertiæ quasi speciei, extinctis omnibus juribus, prævi-
legiis &c. unitarum præbendarum, inde confurgat. 2. Quando una parochia
fiat principalis & quasi mater, cui altera accessorie veluti filialis agglutinetur;
& 3. dum utraque parochia vel præbenda manet sui juris, sicuti antea fuerat, &
solum unicus pastor, qui utramque regat, iustis de causis constituatur. Nos de
sola parochiarum divisione in præsentiarum acturi sumus, ita tamen, ut, quæ
de parochiis profereamus, divisioni aliorum quoque beneficiorum accommoda-
censeamus.

§. I. Divisio (idem dicendum de unione & dismembratione) est de genere
eorum, quæ in sacro Jure universaliter prohibentur. Patet ex rubrica Tit. 12.
Lib. III. §. ut beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur. Diminuun-
tur autem ea vehementer, si unum in plura dispescatur. Hinc SYNOD. TURON.
Sæc. XII. celebrata in c. majoribus. 8. §. de præbendis relata divisiones præben-
darum Eccl. jam fieri vetuit, dicens: sicut in magnis, ita quoque in minimis mem-
bris suis firmatam habeat Ecclesia unitatem, divisionem præbendarum (aut dignita-
tum permutationes) fieri prohibemus. Ad hoc Conciliare Statutum Rom. PP. IN-
NOC. III. c. dilecto. 25. & c. vacante. 26. ALEXAND. III. c. avaritiam. 10.
GREGOR. IX. c. cum causam. 36. tit. eod., ubi beneficiorum sectiones generaliter
interdicunt, uno ore provocant. Odiosæ proinde sunt omnes ejusm. divisiones
ac strictæ interpretationis per cap. odia. 15. de R. I. in 6.

§. II. Calamum hic nostrum vix scribere exorsum detorquet Cl. J. H. Bœh-
merus *Jur. Eccl. prot. ad L. 3. §. tit. 5. §. 206.* ubi pro notissimo suo in cle-
ricum Catholicum affectu ita glossatur. Raræ admodum sunt decretales unionem
reprobantes in compilatione Juris Can.; frequentiores, quæ divisionem respu-
unt, rejiciuntque, quorsum pertinent cc. 8. 10. 20. 25. 26. 36. §. de præb. Ratio
diversitatis est in promptu, ita porro pergit, uniones magis inserviunt commo-
diori & elegantiori vitæ clericorum, quæstum augment, potentiam firmant, & do-
minatui inserviunt. Interim, quia in fraudem canonum ut plurimum tendunt
(uniones) dicuntur *dicis gratia* prohibita, sed ex praxi antiqua & frequentissima
ad res licitas, permissas & non prohibitas relata. E contrario beneficiorum
sectiones & divisiones vires clericorum diminuunt, potentiam eorum deprimunt,
id quod salutis Ecclesiæ in sensu vulgato acceptæ (i. e. Romano-Catholicæ) e dia-
metro adversatur. Hucusque Jctus ille Halensis.

§. III. Sed cavillantur ingenii partus immaturi ista sunt. Nobis imprimis sufficit, omnibus Juris Can. gnaris manifestum esse, quod tam uniones, quam divisiones quarumcunque præbendarum per Ss. canones serio vetentur, & neutra sine accurata causæ cognitione a Prælati Eccl., num fieri expediat, num justa causa id suadeat &c. prævie instituta suscipi posse. Nec interest, num unio paucioribus, pluribus autem sectio prohibeatur. Mala, quæ frequentius occurrunt, passim frequentioribus retunduntur legibus, paucioribus, quæ rarius succrescunt. Leges itidem, quarum observationem subditi refugiunt, sæpe sæpius, quæ in viridi observantia vero sunt, rarius & moderatius Magistratus inculcare solent. Ex canonum igitur uniones interdictionum multitudine, si cavillandi animus abfuisse, arguere vir ille Legum alias peritissimus solummodo debuisset, multo frequentius a Prælati ecclesias & beneficia dividendo, quam uniendo peccatum fuisse, alias supervacaneæ & otiose prælaudatum C. TURON. decretum toties RR. PP. veluti torrenti aggerem, illis de novo objecissent.

§. IV. Rationem disp. Bæhmerus maligne excogitavit, suaque vota, quæ apud animum ille suumolvebat, satis orbi aperuit: vellet, aut potius voluisset nimirum ille, omnes Germaniæ nostræ Archiepiscopus, aliosque Prælatos Eccles. majoris ordinis ad mendicitatem depressos, omni ære, milite, aliisque defensionum mediis vacuos; ut, qui vellet, illos impune & absque suo periculo invadere, laceßere ac pessumdare posset; eo enim verba ejusdem §. 206. spectare noscuntur, quæ ita habent: *Nec enim hodie amplius Episcopi modico contenti sunt, sed principum more vivunt. Canonici & Capitulares reliquique Prælati illorum vestigiis insistant, deterioris esse conditionis recusantes, qui omnes tamen tot redditibus superfluis abundant, ut rei ecclesiasticæ expediret, divisiones illis imperare, & redditus usibus melioribus applicare.* Quibus verbis Episcoporum, canonicorum in Cathedralibus, aliarumque Ecclesiarum præsulum redditus plus æquo attollit, quo illos apud Principes aliosque in invidiam vocet.

§. V. Cætera, quæ nos §. II. ex eodem Authore attulimus, ineptius adhuc dicta arbitramur: ait enim Henningius, *uniones, quia in fraudem canonum tendunt, dicis gratia prohibitas dici, sed ex praxi antiqua & frequentissima ad res non prohibitas referri.* Quæ ideo a custode legum & canonum vetantur, quia in fraudem publicarum legum canonumve tendant, easque infringere aut omnino tollere conentur; ea, me hercle! non *dicis* tantummodo gratia, sed perquam serio prohibentur, quoniam leges & canones vult salvos & in suo robore persistere. Quæ igitur fronte Halensis iste Mercurius prædicta scribere ausus est? qua ratione se ab antilogia, qua se ipse involvit, expediet? Rom. PP. uniones præbendarum ac vel maxime parochiarum gravibus verbis, adjectis insuper pænis interdicit. Tridentini PP. Sess. VII. c. 6. uniones perpetuas a 40. annis factas examinare, & quæ sine sufficienti causa factæ fuerint, deprehensæ, iterum dissolvere jubent, & *dicis* tantum gratia illas prohiberi quis arbitretur? Deinde non sunt tam frequentes & antiquæ uniones ac divisiones: longe pauciores & ampliores olim erant Episcopatus & Parochiæ, atque hodie illa sunt, quod nemo nescit: sola necessitas aut ecclesiarum utilitas uniones facit licitas, eo fere modo, quo rerum Eccl. alienationes. Vid. cc. *exposuisti* 33. *de præb. novit.* 1. *ne sede vac. Clem. si una.* 2. *de rebus*

rebus Eccl. non alien. Bæhmerus beneficiorum pluralitatem & eorundem unionem confundere videtur. Sed redimus ad propositas nobis parochiarum & aliorum beneficiorum divisiones.

§. VI. Illicitas & prohibitas eas esse diximus, aut temerarias duntaxat, quas nulla justa & rationalis causa suadeat, aut etiam Ecclesiarum damna summopere dissuadent. Hinc INNOC. III. *in c. vacante* 26. §. *de præb.* beneficium in duo divisum redintegrare imperat; *nisi rationabili causa de vacante præbenda duæ fuerint constituta.* Rogas, quænam sint justæ & rationabiles causæ? *æmus:* duæ sunt, videl. necessitas & evidens Ecclesiæ utilitas. Petrus Leurenus for. ben. p. 3. sect. 2. c. 2. q. 958. omnem divisionis causam ad unam reducit; si nim. Beneficiarius omnibus obligationibus suo beneficio annexis satisfacere nequit, quamdiu illud est indivisum. e. g. Parochus curam animarum, populum suum instruendo & sacramenta ministrando &c., manente parochiæ integritate, uti convenit, exercere non potest; posset autem hæc cura debite administrari, si parochia divideretur. Tunc enim & necessitas & Ecclesiæ animarumque utilitas sectionem parochiæ suadent & urgent. Idem cum proportionem de Canonicatu, Capellania & quovis alio beneficio statuendum erit, si onera illi tot ac tanta adhæreant, quæ ab uno sacerdote præstari non valerent.

§. VII. Hanc beneficiati in cura animarum insufficientiam Trid. Synod. ex duabus rationibus, verbis sub disjunctione sess. XXI. c. 4. ref. prolatis petit, quæ sunt *locorum distantia, sive difficultas*, ob quam *parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta, & divina officia audienda parochialem ecclesiam accedere non possunt.* Una harum ad parochiam secandam sufficit. PP. Trid. in hoc suo decreto provocant *ad cap. ad audientiam* 3. *ædif. Eccl.* Ob nimiam locorum distantiam Paulus IV. Episcopatum Goënsensem a provincia Archiepiscopi Olyssiponensis abstractum in novam metropolim erexit. Longe ante Tridentini tempora CONC. TOLOS. videl. anno 843. c. 7. id ipsum sequentibus statuit: *si longitudo itineris aut periculum aquæ &c., & si mulierum vel infantium aut debiliū imbecillitas ad ecclesiam principalem non possit accedere.*

§. VIII. Ex quorum CC. decretis patet, difficultatem a locorum præcise distantia non peti, sed aliunde, puta a viis nive & glacie horridis, ab aquis interfluentibus, quæ nec vado, nec ponte superari possunt, & partem populi a sua ecclesia dividunt, quo frequenter accidit, ut nec ipsi pro perceptione sacramentorum & divinorum officiorum participatione ad eandem venire, aut suos parvulos pro baptisate afferre; nec parochus ægrotis & moribundis adesse, eorum confessiones audire, Ss. Eucharistiam & extremam unctionem præbere valeat. Huc referri debet casus, quo parochus in urbe de nocte ita clausa, ut exitus denegetur, habitat, pars vero populi in suburbiis commoretur; ubi eadem omnino incommoda, quæ ex interfluyente amne parochianis advenire possunt. Quænam autem locorum in casibus particularibus distantia, quænam viarum difficultas secandæ parochiæ sufficiat S. Congregatio prudenti Episcoporum arbitrio decernendum sapientissime reliquit. Barbosa de off. pot. Episc. alleg. 68. n. 2. putat, quodsi in loco facilioris accessus e. g. trans amnem, Ecclesia cum fonte baptismali &c. construeretur, in qua parochus sacerdotem a se omnino dependentem atque suo nutu

athovibilem, qui curam exercere possit, collocaret, scissionem parochiæ fieri nec posse nec debere. Sed alii ex juribus citt. ex arbitrio Episcopi adhuc fieri posse divisionem rectius contendunt, quia in eo casu partem reddituum illi vicario Episcopus attribuerè potest ac debet, cur non & beneficium parochiale ipsum diffindere, quod negotium ex dictis S. Congregatio unice ejusdem judicio committendum putavit.

§. IX. Sola Clericorum & per eos cultus divini multiplicatio aut reddituum pinguèdo divisioni parochiarum cæterorumque beneficiorum faciendæ Rotæ Rom. apud Leuren. *F. B. p. 3. q. 958. Lotter. L. 1. q. 28. n. 64.* satis esse visa non fuit. Et merito, alias omnia & singula beneficia liberalius fundata secari in plura licite possent, id quod nemo unus canonum gnarus facile admittet. Ast ecclesiis per plures ministros melius providetur ac servitur, quam per pauciores. *Erras*; non enim cum gente semper lætitia multiplicatur, aut ecclesiarum commodum & ornamentum inde promovetur. Unus probus, prudens, solers ac genuino zelo præditus sacerdos passim animarum lucra, ecclesiæ suæ utilitatem ac decorem longius & latius provehit, quam duo aut tres minus bene morati, in agendo præcipientes, ignavi, suarumque tantum commoditatum ac lucrorum studiosi. Cum autem requisitis dotibus egregie instructi ministri rariores, e contra variis defectibus oppleti, aut debitis qualitatibus vacui longe numerosiores occurrant; minus idoneos, aut etiam curæ animarum ineptos cooptabit, ac parochiis facile & certo sæpius magno cum animarum damno imponet, quisquis in divisionibus beneficiorum solam cleri multiplicationem pro fine habet.

§. X. Huc pertinet eventus, quo Episcopus absque justa causa, id est, sine necessitate & utilitate ecclesiarum parochialium Rectoribus adjectitios ministros, qui eos cum imminutione suorum reddituum & magnis illorum incommodis in cura coadjuvent, nolentibus obtrudit, dum ipsi possunt, ac volunt parochianis in suo officio sacro abunde satisfacere. Ita Rota apud Seraph. *Decis. 428. Abb. in cap. conquerente de cler. non resid. n. 1. & 5.* quia ejusm. obtrusio species quædam, si non divisionis, certe dismembrationis est, quarum utraque ex dictis superioribus de genere est prohibitorum: hæc autem ut licite recteque instituantur, requirunt justam causam vel evidentis utilitatis, vel talis necessitatis, cui alias opportunè provideri non possit, quod ait Card. de Luca de Regular. d. 27. n. 4. item de paroch. d. 34. n. 3. apud Leur. l. c., qui subdit, Episcopum male agere, si parochus sacerdotem cooperatorem (vulgo capellanum) *pure & ideo tantum*, quia Ecclesia habeat pinguiore redditus, alendi & annum stipendium præbendi onus in humeros conjicit.

§. XI. Nec litis, quæ forte inter duos ejusdem parochiæ alteriusve præbendæ petitores exarsit, compositionem aut extinctionem laudata Rota ad dividendum beneficium quodcumque censuit sufficere: eo quod ejusm. lites per reservationem pensionis, uti in casu *c. nisi essent. 21. præb.* aliumve modum salva beneficii integritate decidi queunt. Neque ob solam populi numerositatem, *tantam etiam, ut unus Rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, & cultui divino peragendo PP. C. Trid. sess. 21. c. 4.* cit. scindi parochias voluerunt, præcipientes, ut cogant parochiarum Rectores vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacer-

Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda & cultum divinum celebrandum. Ut autem Episcopus huic conciliari decreto convenienter parochus novos socios adjungat, aut etiam parochiam, si necessitas aut utilitas id exigat, scindat, opus minime est, infantem sine baptismo, aut adultum parochianum sine morientium sacramentis actu decessisse, sed probabile periculum tam tristic casus satis superque fore S. Congregatio apud Fagnan. l. c. decidit; *melius quippe est occurrere in tempore quam post exitum vindicare*, ut recte monet I.M.P. *L. liberam l. C. quando lic. unicuique sine jud. se vind.*

§. XII. Num linguarum & rituum sacrorum diversitas, quæ inter parochianos subinde reperitur, inter justas dividendæ parochiæ causas numerari debeat, dubitari merito possit; sed huic dubio occurrit INNOC. III. *in c. quoniam 14. off. jud. ord.* respondens: *non esse*, simulque providet, ut in hoc emergenti parochus (idem dicendum de Episcopo) adjungatur vicarius, qui peregrina lingua & peregrinis ritibus additis sic divina officia administret, ut parochia integra permaneat, & adjunctus vicarius in omnibus parochus aut Episcopo obsequens sit. Innocentianæ dispositioni parum ab simile est decretum CONC. LATÆR. relatum *in c. cum dicat. 2. eccl. ædific.* quod circa leprosos (vel aliis morbis infectivis laborantes) si illi in parochia tanto numero conveniant, ut Ecclesiam, cæmeterium & sacerdotem proprium constituere sibi valeant, conceptum fuit: statuit illud, ut ex pietate quidem templum, cæmeterium & sacerdos indulgeri illis valeat, ita tamen, ut parochiæ juribus nihil decedat, & ne, quod pro pietate conceditur, ad aliorum injuriam redundet.

§. XIII. Beneficia majora, puta Patriarchatus, Archi- & Episcopatus dividere pertinet ad causas majores & reservata papalia. extr. *sedes. JOAN. XXII. de concess. præb. extr. sedes. Com. de off. pot. jud. deleg. can. præcipimus 53. c. 16. q. 1.* Plurima exempla Thomass. vet. ac nov. discipl. eccl. tom. I. l. 1. c. 54. seqq. adducit. sic GREGOR. III. per suum delegatum S. BONIFACIUM Arch. Mog. Bavariam, quam unicus regebat Episcopus, in 4. diœceses, videl. Salisburg-Frising-Ratisbon- & Pataviensem dispescuit anno 738. & JOAN. VII. Episcopatum Bambergensem anno 1006. erexit, illique partem diœceseos Wirceburgensis attribuit. Beneficia vero inferiora, qualia sunt parochiæ, Canonicatus, Capellanix &c. quilibet Episcopus vel quasi, urgente justa causa secandi potestate instructus est; & *ordinaria* quidem, si beneficia illa jurisdictioni suæ immediate subsint: *extraordinaria* vero, quando fuerint exempta.

§. XIV. Principes Protestantes in suis territoriis jus ecclesiarum suæ religionis dividendi cum cæteris juribus sacris notorie sibi arrogat, quo eodem etiam status Catholici circa protestantica beneficia in suis territoriis sita, nisi pactis aut aliunde prohibeantur, uti possunt. Utrique in divisione ad ea, quæ J. P. W. art. V. §. 47. & 48. disponit, attendere debent. Priori ita ordinatur: *Reditus etiam, nec non decimæ, canones & pensiones A. C. statibus, foundationibus tam destructis & collapsis, ex alienis territoriis debite iis exsolvantur, qui anno 1624. 1. Jan. in possessione perceptionis vel quasi fuerunt.* Posteriori sic: *Ad consequendos redditus, census, decimas & pensiones in iis A. C. statuum ditionibus, ubi Catholici anno 1624. notorie in possessione vel quasi exercitii jurisdictionis Eccl. fuerunt, utantur eadem posthac quoque, sed*

non nisi in exigendis hisce pensionibus, nec procedatur ad excommunicationem, nisi post trinam denuntiationem.

§. XV. Ut parochiæ divisio recto ordine instituatur, præter justitiam causæ insuper requiruntur. 1. Sufficiens hominum numerus, quem C. Tol. cap. unio. 3. C. X. q. 3. in decem municipiis seu familiis constituit. 2. Ut Episcopus utrique parochiæ, novæ & antiquæ certos limites figat, tum ne jurisdictiones spirituales confundantur, tum ut litium materies submoveatur. 3. Ut congruam dotem novæ ecclesiæ & competentem ejusdem Rectori sustentationem constituat. 4. Denique, ut divisionis negotium cum prævia causæ cognitione, & debitis solennitatibus in jure præscriptis absolvat. Ita Card. de Luca de Regular. d. 5. n. 4. Pyrrh. Corrad. prax. ben. L. 3. c. 2. n. 2. & alii omnes.

§. XVI. Dos autem Ecclesiæ dicitur congrua, quæ Ss. vasis, vestibus, luminariis procurandis, sartis tectis aliisque necessitatibus conservandis sufficit. *Sustentatio competens* censetur, quæ parochus honeste alendo, oneribus Episcopo solvendis, hospitalitati erga religiosos aliosque exercendæ fatis congruit. De ambobus in publicis diff. a nobis actum. De dote in diff. *sanctitas templorum Cath. dotata & ornata. de competentia* in diff. *Vicarius in divinis.* utrumque complectitur Can. placuit. 1. *Caus. 1. q. 2.* quem CONC. BRACCAR. edidit, ac ita habet: *Non levis culpa est ista temeritas, si sine luminariis (& aliis necessariis) vel sine substantiali sustentatione eorum, qui ibidem servituri sunt, tanquam domus privata consecretur ecclesia.* Errant proinde, qui in id unice intenti sunt, ut in otiosa rusticanæ plebis commoda parochias dividunt, parum solliciti, an ecclesiæ dos ulla sit, aut nulla, & num redditus annui tot tantique sint, ut inde pius, literatus, honestusque sacerdos vitam suo statui congruam transigere valeat.

§. XVII. Ast unde Episcopus dividens dotem & competentiam sumet? varios hic casus distinguere oportet. *Imus.* Si redditus antiquæ parochiæ ita abundant, ut pro utraque ecclesia in dotem, & utrique sacerdoti in competentiam honestam sufficere queant, inde ea sumi debere, decidit ALEXAND. III. in c. ad audientiam sepe cit. quemadmodum enim tunc ecclesiæ & parochiæ dividuntur, ita & redditus ad matricem ecclesiam quomodolibet pertinentes dividendæ sunt. Quid si antiquus parochus in loco & districtu novæ ecclesiæ decimas collegit, num jus decimandi vi ipsius divisionis & erectionis novæ parochiæ ac ipso facto ad novum parochum transit? affirmant Fagnan. in cap. cum contingat 29. decim. Pirrh. tit. de decim. n. 91. ea ducti ratione, quod generaliter decimæ prædiales parochus intra suæ parochiæ fines de jure competant. Nos cum multis negamus, ipso jure & facto divisionis decimas ex prædiis intra limites suæ parochiæ sitos ad illum transire, sed tum modo id fieri, quando Episcopus dividens prædictum jus novo parochus attribuerit, quia C. T. dotis & competentiæ negotium Episcoporum curæ unice & totum reliquit. Verba Synodi sess. 21. c. 4. ref. ita habent: *Illis autem sacerdotibus, qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis præficiendi, competens assignetur portio NB. arbitrio Episcopi ex fructibus ad ecclesiam matricem NB. quomodocunque pertinentibus.* Consentit S. Congr. interpres C. Trid., quæ Rotæ in quadam causa Mediolan. desuper interroganti in nostrum sensum respondit. Potest igitur Episcopus, si ita sibi videatur congruere, antiquo parochus decimas in nova parochia relinquere, vel in aliis bonis veteris ecclesiæ dotem & competentiam novæ constituere.

§. XVIII. Alter casus de dote & competentia est, quando ex bonis primitivæ parochiæ aut nihil, aut non, quantum sufficit, decerpi potest, nec alius adfit, qui eam vel complere aut dare velit, & nihilominus necessitas divisionem urgeat: in eo eventu Synodus Trid. l. c. decernit, ut populus, in cujus gratiam nova parochia erigitur, ad congruam parochus sustentationem & ecclesiæ dotem constituendam compellatur. Quodsi vero populus ob inopiam non possit, hinc patroni & alii, qui decimas aliasque utilitates temporales eo loci percipiunt, ex dispositione INNOC. III. in c. extirpanda de præb. obligantur. Quando & isti desunt, prædicta onera GELASIUS Papa can. præfulum 2. XVI. q. 3. Episcopis injungit, a quibus tamen, si eorum redditus propterea imminuerent, vix quidquam speres. In Electorali Palatinatu, omnibus deficientibus ad Ecclesiasticam Administrationem, veluti ad securum pietatis montem pauperes ecclesiæ noviter erectæ confugere solent.

§. XIX. Solemnia in sectione parochiæ &c. adhibenda in eo potissimum versantur, quod omnes & singuli, quorum interest, sectionem non fieri, citentur audianturque. Sunt autem ferme sequentes. Ac imprimis parochus ecclesiæ matricis, si parochia plena sit, & possessorem actu habeat, aut si eo careat, & vacua fuerit, illius defensor, qui ab Episcopo ante divisionem constitui debet. arg. c. felix. 50. seq. XVI. q. 1. S. Congr. apud Fagn. in c. ad audient. cit. nn. 7. & 32. hic enim vel maxime audiri ac consentire debet. Nec obstat 1. quodsi parochia aliudve beneficium alteri perpetuo uniatur, opus non sit, beneficiati consensum exquirere, cur igitur in divisione idipsum non valeat? sed ratio disp. est, quod divisio præbendæ, non item unio, vivente præbendato effectum sortiatur, quo fit, ut parochi viventis jura per divisionem multum imminuantur. arg. c. consultationibus 4. de donat. Clem. si una. 2. de rebus eccl. alien. gloss. in c. nulli 2. dist. 90. Nec obstat 2. quod Trid. l. c. statuat, Episcopos etiam invitatis Rectoribus novas parochias constituere posse. Hoc enim minime impedit, quominus parochi citentur, & quæ contra obmoverint argumenta, audiantur. Quodsi illi citati & auditi irrationabiliter resisterint, tum modo Tridentina dispositio locum habebit. Sin parochi juste contradixerint, appellationem interponere ipsis licet, qua pendente Episcopus divisione supersedebit, alias acta ex reg. generali c. non solum 7. de appell. in 6. nulla & irrita erunt. Nomine autem Rectoris in parochiis, capitulo, monasterio &c. unitis non venit vicarius perpetuus, sed prælatus Capituli &c. vicario enim cura solum animarum, Prælato vero defensio beneficii incumbit. uti diximus diff. de vicario in divinis.

§. XX. Deinde audiendi sunt Patroni, eorumque consensus exquirendus; nam & horum interest, cum beneficium ex divisione reddatur minoris æstimationis, ac fuerat ante, consequenter præsentatio ad illud minus benefica grataque est. arg. ex Trid. sess. 24. c. 18. Pyrrh. prax. ben. L. 2. 15. Quando patroni absque justa causa consentire in divisionem recusent: Episcopus nihilominus parochiam vel præbendam scindet, & sectio valebit. Valet enim scissio parochiæ reluctantæ irrationabiliter parochus, cujus magis interest, parochiam non scindi, igitur multo magis subsistet, ita refragante patrono. Parochianorum assensu nequaquam opus est, Domini loci autem approbatio ex reverentia & pacis studio duntaxat roganda erit, quia nullus canon, qui aliter jubeat, occurrit. 3. Ad firmitatem divisionis

nomine de jure scripto quoque contentus Capituli Cathed. quando Episcopus divisionis auctor est, & eam de jure ordinario perficit. Clem. si una. cit. c. pastoralis de donat. Trid. l. c. fecus est, si parochus ipse aut populus sectionis auctor est, eandemque fieri postulat, aut quando Episcopus illam ut Sedis Apost. delegatus instituit. Garc. pag. 12. c. 3. n. 11. seq.

§. XXI. Effectus divisionis legitime factæ sunt. *imus quod novæ ecclesia matri debet competentem pro facultate loci honorem ex præscripto Episcopi exhibere, in signum videlicet & recognitionem originis suæ, juriumque parochialium in se transfusorum e. g. imponendo modicum censum certo tempore eidem solvendum, vel aliter. cap. ad audientiam & Trid. l. c. adus est, quod parochus matricis, si ex hujus rebus integre novæ dos & Rectoris competentia fuerit desumpta, patronus novæ ecclesiæ evadat, qui toties, quoties illa vacet, idoneam personam præsentandi jus nanciscatur. cap. & Trid. cit. si pars, & alius quispiam alteram partem ad sufficientiam adiecit, jus patronatus & huic & parochi antiquo commune erit. Si nihil: patroni honore & jure nullatenus gaudebit, quia solummodo patronum faciunt dos, ædificatio, fundus. gloss. in Can. pia. 26. Causa 16. q. 7.*

COROLLARIA EX JURE LIB. III. DECRET. PUBLICO.

1. *Pipinum & Carolum M. ratione donationis Pontificibus factæ tanquam prædones impie criminantur Protestantes. 2. Qui & ex disciplina civi mediæ & nexu Imperatores inter & Episcopos jus in sacra pro principibus secularibus male derivant. 3. Pontifices investituris per anulum & baculum jure contradixerunt, ortumque inde pactum Callixtum inter & Henricum V. fuit validum. 4. Annatæ omni Simonie labe carent. 5. DD. Protestantibus in bona Eccles. plus, quam usum facti concedere per canones prohibemur. 6. Reservatum Ecclesiasticum nititur recta ratione & verbo Dei. 7. Menses Papales & jus conferendi canonicatus in capitulis Protestantibus aut mixtæ religionis partim Principes territoriales, partim Capitula sibi vendicant. 8. Primævam originem precum primariarum ducimus ex indulto Pontificio. 9. Hodie tamen Impp. ad antiquissimam consuetudinem recte provocant.*

PRIVATO.

1. *Clerici beneficiati per matrimonium beneficia Ecclesiastica ipso facto justa lege amittunt. 2. Promissio beneficii nondum vacantis ipso jure nulla est, licet firmata juramento. 3. Nullus Prælati Papa inferior potest beneficio ipsi imponere pensionem perpetuam. 4. Ecclesia habet potestatem vindicandi, si prælati repudiet rem legatam vel donatam. 5. Rerum Ecclesiasticarum alienatio sine justa causa est irrita. 6. Item venditio prædii sine consensu Capituli. 7. Capitulares statutum facere nequeunt, vi cuius liceat ipsis inter se dividere, solatis singulorum stipendiis, in Cassa Capitulari residuum, etiam accedente consensu Episcopi. 8. Canonicis collegiæ Ecclesiæ ob servitium Episcopi absentibus ultra trimestre fructus canonicales integri debentur, non vero distributio quotidiana. 9. Cum re deposita depositi rationem accessoria non habent. 10. Successor particularis non tenetur locationi stare. 11. In Emphyteusi Ecclesiastica celeri satisfactio mora purgari potest, non item in seculari. 12. Emphyteusis non amittitur; tota si pars in scio & invito domino fuit alienata. 13. Si permutentur beneficia inæqualia, majores redditus summa pecuniaria compensari nequeunt. 14. Expectativa ad feuda nondum aperta tenet. 15. Res in feudo dari solitæ non requirunt canonicas solemnitates. 16. Feudum novum in antiquum, non antiquum in novum mutari potest. 17. Fœmina in feudo fœmineo exclusa non censetur semper exclusa. 18. Firmum est dotale in bonis feudalibus constitutum sine consensu filii in feudo successuri & irrequisito domino directo.*

P R Æ S I D E

R. P. PETRO GALLADE, S. J. Ss. Theologiæ & Canonum Doctore, eorumque in Alma & Antiquissima Heidelbergensi Universitate Professore Publico, Ordinario

D E F E N D E T

CHRISTOPHORUS MEHLER, ejusd. Soc. Ss. Theol. & Ss. Canonum Auditor, Heidelbergæ in Aula Académica An. MDCCLXVI. die 26. Febr. horis ab octava matutina consuetis.